


π k
958



B. 1
h. 1

J

J



B. h. II 359^a

h. 69, 29.

II R
958

DISPUTATIO JURIDICA

DE

PACTIS
ADJECTIS,

Quam Deo disponente,

Ex Decreto Magnifici Jctorum Ordinis in
florentissimâ Academia Jenensi

More Majorum

*Publicè ac solenniter ventilandam
propono*

JOHANN-VOLK. *Beßman*

J. U. D. & Prof. Publ. Ordinarius.

PRO LOCO IN JURIDICA FACULTATE
legitimè ac competenter impetrando,

In Auditorio Jctorum

a. d. 15 Julii

horis consuetis.


BIBLIOTHECA
POMERANIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

JENAE

Typis SAMUELIS KREBSII

A. O. R. MDCCC LIX.



I. N. D. N. J. C.


Hegem lecta 40. de reb. cred. inter LL. damnatas, & in toto Corpore Juris difficilimas referri in vulgus notum est. Et dum adorno interpretationem, animadverti ob foecunditatem materiae illam ex-crescere in molem quandam Academico huic negotio disconvenientem, hinc mentem meam mutavi, & integræ L. analysin in alium diem reposui. Et ne videar ἀλλοπερίσταλλον ex d. l. 40. saltim delibavi versiculum *convenit q̄* continentem de pactis adjectis materiam spinosam, & subtilem, quæ vel solâ raritate seipsam satis commendat, quod tamen pace Fascini dictum sit. In illâ ita occupabor, ne culpam, quam in initio defugio, necessum habeam in subseqq. deprecari, hinc eam in breves (*huic tamen instituto sufficientes*) theses coarctabo. Et cum adulto more pro Loco (ut loquimur) in Facultate Juridicâ legitimè ac competenter impetrando hodiè disputem, omnes ex nostro Professorio Ordine ad harum thesium examen publicè invito, si cuidam allubescit rationes mecum exputare, & in solida hujus materiae fundamenta inquirere, mihi adeò non erit dividia, ut potius beneficii loco sim habiturus, dummodò observet antiquum ἀνδρα παθῶν, & ne juxtâ Mimum nimiùm altercando veritas amittatur.

~

I. SUM.

Summaria.

1. *Distinctio pacti in nudum & nonnudum.*
2. *Pacta in LL. vocantur nuda κατὰ Δι. σολλω.*
3. *Effectus pacti nudi de Jure naturali & civili.*
4. *Fundamentum ex Politicis pro LL. Romanis.*
5. *Præsens regula duas habet exceptiones.*
6. *Ratio solida, quare in Jure nostro debeant admitti exceptio-*
7. *Συνάλλαγμα aliter Philosophus, aliter Imp. accipit. (nes.*
8. *Distinguuntur pacta legitima à contractibus.*
9. *Exempla saltim ex sententia Dd. enumerantur.*

1. eteres Juris nostri Interpretes politioris literaturæ ignari, & verborum elegantiam non attendentes diviserunt pacta in nuda & vestita. Et videntur pacta nuda in legibus nostris vocari non κατὰ Δι. σολλω, sed explicativè, sicut occurrit in *pr. l. si dictum 56. de Evict. l. 3. C. de emancipat. §. ult. I. quib. mod. test. l. 3. §. ult. de adim. legat. l. nuda 26. de donat. l. non solum 49. §. 2. de pecul. l. nunquam 30. de acquir. rer. dom. l. 6. §. 3. de edend. l. nuda 55. de contrab. emt. l. non nudis 14. C. de probat.* Verum cum pacta nuda & non nuda ut diversæ species non obscure ponantur in *l. Jurisgentium 7. §. Sed cum 4. de pact. l. si dominus 8. & l. solent 15. de præscript. verb. l. legem 10. C. de pact.* Illa magistralis distinctio (*licet αυτολεξεί in LL. non habeatur*) docendi gratiâ tolerari potest. Et si vox *vestita* offenderet aures delicatiores, dicerem ex LL. quod pacta alia sint nuda, alia non nuda. Pacta nuda quidem de Jure naturali producant obligationem, sed non Jure civ. Rom. *l. si tibi 27. C. de locat. d. l. Jurisgent. 7. §. Sed cum 4. l. divisionis 45. h. t. d. l. solent. 15. de præscript. verb. l. cum proponas 21. l. si certis 28. C. de transact. l. 1. C. de pact. convent. l. 5. C. de inutil.*
- 2.
- 3.

util. stip. l. 2. C. de evict. l. 3. C. de Rer. perm. Quare autem 4.
 leges Rom. non omnibus pactis adsistant, ratio politica
 hæc est, quod intersit Reip. ne fora impleantur litibus, ex
 hoc ipso fundamento *Plato de LL. Dial. XI. fermè in pr.* non
 concedit in suâ Rep. civibus actionem ex controversia or-
 tâ περί τῆς ἐξαπίσεως, subjicit enim, ἕτω πράττων ὡς δικῶν μη-
 δὲνὶ περί τῶν μηδαμῶς ἐσομένων. Regula, ut dixi, talis est,
 quod pacta de Jure Nat. non producant actionem, cum
 autem sicut alibi ostensum fuit, in contingente materia
 Juris nostri locum habeat ἄλλως ἔχειν, Unde ob defectum 5.
 æterni objecti regulas, & propositiones tales habemus,
 quæ patiuntur exceptiones, quarum in præsentī duæ oc-
 currunt; prima est in pactis legitimis, quæ tantum pro- 6.
 pter specialem confirmationem & assistentiam solam le-
 gis efficaces sunt ad agendum *l. 6. b. t.* non autem intrin-
 secâ virtute, cum nec habeant specificum contrahendi
 modum, nec nomen, nec συνάλλαγμα *d. l. 7. §. 2. Et seq. b. t.*
 ubi nota, quod συνάλλαγμα aliter Philosophus, aliter Imp. 7.
 accipit, ille *3. Et b. c. 2.* distinguit συναλλάγματα in volunta-
 ria & in voluntaria, ut comprehendat etiam ea, quæ sunt
 legibus vetita, & hoc scitè explicat *ibi Michael Ephesius*;
 Συναλλάγματα οἱ παλαοὶ ἐκάλεον ἑ μόνον ἃ ἐκόντες συνελίθεντο
 πρὸς ἀλλήλους ποιεῖν, ἀλλὰ καὶ τὰ ὑπὸ τῶν νόμων διηγυροῦμενα.
 Imperator autem in *d. l. 7.* per vocem συναλλάγματ^o in- 8.
 telligit factum seu dationem, quæ in pactis legitimis non
 invenitur, hinc etiam non possunt esse contractus. Exem-
 pla autem pacti legitimi promissorii Dd. asserunt esse in 9.
l. etiam 30. de usur. l. in quibusdam 7. de naut. fœn. l. frumenti 12.
C. d. t. de Usur. quæ putant fuisse ante Paulum autorem.
l. 6. b. t. 2. in l. ad exactiorem 6. C. de dot. promiss. l. Si quis
arg. 35. C. de donat. Obligatorii autem in *l. si tibi 17. §. 1. l. si*

unus 27. §. 2. vers. Sed si pactum. & §. 4. b. t. quæ tamen omnia h. l. expendere non licet. Secunda exceptio est in pactis quæ contractibus adjiciuntur, de quibus in subseqq. tractabitur.

II.

Summaria.

1. Definitio pacti adjecti, ejusdemq. explicatio.
2. Contractus dividuntur in nominatos & innominatos. Secundò in b. f. & stricti Juris.
3. Divisio pactorum, quod alia contractibus in continenti, alia ex intervallo adjiciantur.
4. T³ in continenti acceptiones.
5. An pacta semper debeant adjici in initio contractus.
6. Rationes pro affirmativa.
7. Rationes pro negativa.
8. Decisio.
9. Variæ divisiones pactorum enumerantur.

P Actum in continenti adjectum est pactum nudum, quod propter coherentiam & continentiam contractus est efficax ad parendam actionem.

Cum definitio hæc in subseqq. declarabitur, non placet mihi in ea κατὰ πόδα resolvenda h. l. immorari. quædam tantum præmittam. Pactum nudum non videtur esse genus adæquatum, cum eo ipso, quo adjicitur contractibus, non sit nudum. Sciendum est, quod pactum adjectum ratione essentiaë maneat tale, non enim pacta illa degenerant in contractus, virtus & efficacia illis solummodò communicantur, & ratione coherentiaë pariunt actiones, cum quâ se res ita habet, quod virtus operandi

randi à contractu contractus primùm proveniat, sed post-
eà per quandam quasi reflexionem pactum agat in con-
tractus. Sic virtus illa communicata in pacto subsistit, &
ratione illius subsistentiæ in contractus influit, eosq; affi-
cit & informat. *vide tb. 4.* Dicitur in def. *contractibus.* Con-
tractus 1. sunt vel nominati, vel innominati. Et licet pa-
cta possint etiam innominatis adjici, attamen nos in præ-
sens intelligimus maximè eos, qui habent specialem, &
à Jure determinatam formam. 2. Dividuntur in con- 2.
tractus bonæ fidei & stricti Juris *l. ex initio 11. §. ult. de act.*
emt. l. mora 32. §. 2. de usur. l. cum qui 22. de donat. l. in bonæ fidei
13. C. de pact. l. 3. C. de reb. cred. Nos utrosque comprehen-
dimus, *vid. tb. 3.* Pacta adjecta dividuntur (1.) in ea, quæ in 3.
continenti, & ea quæ ex intervallo adduntur. Pacta con-
tractibus in continenti adjecta, ut eò expeditiùs intelli-
gantur, explicandum est, quid τὸ in continenti significet.
Et sumitur ἐν πλάτῃ, ut comprehendat modicum inter- 4.
vallum, *l. quod ait 23. §. 4. ad L. Jul. de Adult.* in quâ pater
dicitur filiam in continenti occidere, si fiat saltim inter-
positis horis. Includit etiam triduum, *l. 3. C. de Error. Adv.*
ibi ex continenti id est triduo proximo in *d. l. 7. §. 5. b. t.*
dicitur fieri in ingressu in *l. 5. C. d. t.* initio, cum quo ta-
men Ulpianus pugnare videtur in *d. l. 7. §. 5.* dum dicit,
pacta in continenti *subsequuta*, & sic pacta non præcedunt,
sed sequuntur contractus. Quæ res Dd. movit, ut in di- 5.
versas abirent opiniones. Quidam jasserunt, pacta per- 6.
fecto contractui non posse adjici. 1. Contractus quando
perfectus est & absolutus, non potest formam accipere à
pacto adjecto, cum videatur contradictionem involve-
re, contractum esse perfectum, & tamen ulterius perfici.
2. quod in *l. 7. §. 5. b. t. in verb.* quæ legem contractui dant,

id est, quæ in ingressu contractus fiunt, ubi particula id est *ὁριστικῆ* ponitur, hinc ibi pactum post contractum adjectum excluditur. 3. in *l. 5. C. de pact. int. emt. & vend.* dicitur, quod illa pacta non sint ad agendum efficacia, quia non fiunt in initio, *in verb.* nam si initio contractus non est pactus. Contra alii. (1.) Ulpianus expressè in *d. l. 7. §. 5.* habet vocem *subsequuta*, quâ evincitur, pactum non semper præcisè debere adjici in ingressu, sed etiam post contractum. (2.) facit *l. 3. C. de adilit. act. in verb.* fidem antecedentis, vel in continenti secuti pacti. Ubi etiam Impp. utuntur voce *SEQUI*, quæ indicat contractum fuisse jam tùm perfectum. Posterior opinio vera est, & rationes dissentientium ita resolvi possunt. Prima petit principium, & nulla est contradictio, cum non fiat *ὁσάτως*, Contractus non perficitur ratione essentiæ quâ talis (est enim per se perfectus) sed tantum ratione voluntatis contrahentium. In secundâ ratione particula id est *παρὰδευματικῆ* fuit adhibita tali sensu *veluti*, quæ in ingressu contractus fiunt, sic etiam occurrit in eâdem *l. 7. §. 8.* id est ne à Lucio Titio petam. Ultima non stringit, quod ibi dicitur *initio fieri*, opponitur ei, quod fit ex intervallo, & id saltem excluditur, sicut aliàs etiam dicitur aliquid in ipso negotio fieri, quod statim perfecto negotio peragitur, *l. si quis 25. §. 4. de acquir. hered. l. obligari 9. §. 5. de aut. tut.* Ita etiam pacta in continenti dicuntur contractibus adjecta, quæ mox perfectum contractum subsequuntur. Debet ergò τὸ in continenti civiliter intelligi, ratione subjectæ materiæ, quod pactum vel in ipso contractu, vel mox post contractum adjiciatur. Ita scilicet in contractibus consensualibus potest adjici, si contrahentes ad alium, quandam extraneum, & à contractu planè alienum

num


num non accesserint; In realibus locum habet, quando contrahentes ipsum contractum non habent pro absolute perfectò, sed illum per pactum ulterius perficiunt. Ex quibus intellectu facile est, quid sint pacta ex intervallo adjecta, sc. quando contrahentes ad alia negotia diverterunt, vel quæ post tempus contractus adjiciuntur. Tempus autem illud modificatè intelligi debet tale, quod impedit coherentiam contractus, *d. l. 7. §. 5. l. pacta conventa 72. de contrab. emt. l. 6. §. ult. de duob. reis.*

II. Pacta hæc distinguuntur in adjicientia seu augmentia, quibus aliquid additur, ut plus possit peti, quam aliàs in forma contractus fuit promissum; Deinde in detrahentia, quibus aliquid aufertur de contractu, ut minus agi possit *l. 23. de R. J. §. d. l. 72.* III. Pactum adjectum Dd. 9. dividunt (1.) in renovatorium *l. 7. §. adeò 6. l. 27. §. 2. vers. quod si h. t. in verb.* potest renovare primum contractum. Dicit quidem Jctus in *d. §. 6.* quodammodo quasi renovatus sc. si verba tantùm respicimus, secus si effectum, cum in rei veritate numero diversus contractus fiat *l. 72. sub fin. de contrab. emt.* (2.) in transformans, quando prorsus novus fit contractus in totum tollendo priorem *d. l. 7. §. adeò 6.* (3.) in resolutivum, quando prior contractus resolvitur, & ab eo in solidum receditur *d. §. 6.* (4.) in informativum, quando pactum & contractus simul subsistunt *d. l. 7. §. 5. b. t. in verb. quin imò interd. format actionem.* Solent quidem Dd. alias divisiones afferre, sed *ad idem vices* continent & ferè nihil aliud sunt quàm vocabuli æquivoci in sua æquivocata distinctiones, quas non vacat hoc loco expendere. Nos in præsens agimus potissimum de pacto informante, quod contractibus inesse potest.

III.

Summaria.

1. *Subjectum quotuplex.*
2. *An etiam pacta in continenti adjecta insint ex parte actoris in contractibus Stricti Juris?*
3. *Rationes & fundamenta pro hac sententia.*
4. *Rationes dissentientium proponuntur, & resolvuntur usque ad finem.*

1.  Um in objecto nulla stabuletur singularis difficultas, quæ quidem huc pertinet, & aliàs illud à plerisque in generali materia pactorum plenâ manu tractetur, transibo ad subjectum & est duplex 1. commune, hoc studio etiam prætereo, ne pagellæ excrescant, & sic fidei sublestæ accuser. 2. Speciale, & rursus subdistinguo, aut enim est Subjectum *quod*, aut Subjectum *quò*, per hoc intelligo contractuum essentialia, naturalia & accidentalia, sicut ea vulgariter nominant & distinguunt nostri Dd. Subjectum *quod* sunt ipsi contractus, qui ut supra dixi, sunt vel bonæ fidei vel stricti Juris, de illis nemo dubitat propter *d. l. Jurisgentium 7. §. quin imo 8. b. t. l. 1. §. si convenit 6. depos. l. si sterilis 21. §. si tibi 4. de act. emt. l. in bonæ fidei 13. C. b. t. de pact.* Sed de contractibus Stricti Juris controversatur, an etiam pacta insint ex parte actoris si in continenti adjiciantur. Nos affirmativam amplectimur 1. propter *l. lecta 40. de reb. cred. in verb.* dicebam, quia pacta in continenti facta stipulationi inesse creduntur, deinde in subseqq. Quamvis diversa sententia obtinuerit. Nec obstat quod *Vinnius* regerit, quasi verbum generis restringi debeat ad id, de quò ibi sermo est. Nam *Paulus* proponit generalem regulam, pacta in continenti facta Stipulationi inesse creduntur,

duntur, quæ ad quamlibet facti speciem applicanda est, & deindè quod verba illa *quamvis diversa &c.* pertineant tantum ad illam quæstionem, sed hæc explicatio est falsa. Et præcisè ad Jus referuntur *in verbis, si ut ille putabat &c.* certè verba Pauli generalia *dicebam &c.* talem restrictionem non possunt admittere. Fuit quidem super isto Jure controversia, sed contraria sententia in Auditorio Papiniani obtinuit, ut fusius in ipsâ resolutione L. lecta alibi demonstro. De veterum Auditoriis vid. l. contra 54. §. 1. de Re Judic. l. minor 18. §. 1. de minor. l. mulier 22. in pr. ad S. C. tum Trebell. l. cum in fundo 78. §. 4. de Jure dot. l. 1. §. ult. ne de stat. defunct. 2. per l. petens 27. C. de pact. in quâ continetur duplex pactum, unum, quod confirmatur ab ipsa stipulatione, alterum quod statim subsecutum fuit, ubi dicunt Imperatores, quod rectè secundum se ferri sententiam postulet, qui ex pacto interposito petit. *Vinnius h. l.* aliter accipit, quod ibi agatur tantum de stipulatione pacti confirmandi gratiâ, & sic asserunt Imperatores, quod nihil intersit, an pactum antecedit, an post statim interponatur. Sed se in difficultatem non levem induit. Qui enim fieri potest, ut stipulatio sequatur pacti ejus servandi causâ, quod demum post stipulationem interponitur. Ut se extricet, dicit cum aliis, quod stipulatio, quæ præcedit tempore, vel Scriptura, ea nihilominus rectè dicatur sequi nempe naturâ & intellectu. Hæc quidem fingi possunt, sed nullum exemplum in Jure occurrit, nec ipsa litera L. talem contortam explicationem fert, unde non est verisimile Imperat. mysticum illum sensum intendisse. 3. l. 48. de pact. ubi est generalis

B

ralis

ralis propositio, quam dissentientes quidem dicunt tantum procedere de dationibus & factis informibus, sed absque fundamento, cum de hac restrictione ibi nihil habeatur, accedit nostræ sententiæ *l. 52. de U. Oblig.* 4. per *l. 13. Commun. præd. in verb.* per stipulationis vel venditionis legem obligantur, ubi per legem intelligitur pactum *vid. verb. in pr.* legem dederat, nempe venditioni fuit pactum adjectum, ne contra eum piscatio thymnaria exerceatur *conf. d. l. 7. §. 5. in verb.* quæ legem contractui dant. Dissentientes regerunt, quod ibi per legem intelligatur ipsa stipulatio, at imò ipsa stipulatio fortè nullibi in Jure dicitur lex contractus & gratis allegatur *l. 9. C. de donat.* cum ibi expressè opponatur & distinguatur *in verb. sive &c.* quâ voce innuitur casuum oppositio, cum stipulatio non explicet & interpretetur contractus, sed firmet & stabiliet *l. 5. §. 1. de contrab. & committ. stipulat.* 5. Emphyteusis est contractus stricti Juris, ut quidam diss. vult, disputo κατ' ἐνθρονον, Jam autem Emphyteusi potest pactum in continenti ita addi, ut insit ex parte actoris, *l. 1. C. de Jure Emph. §. 3 l. de Locat. 5.* Nullæ solidæ differentia rationes assignari possunt, quare hæc pacta non idem operentur in contractibus Stricti Juris, quæ à *Bachovio & Vinnio* allegantur, sunt nullius ponderis. 6. Nullum exinde oritur absurdum, quo fundamenta Juris impugnantur, si illud affirmatur. 7. Nullus adest textus Juris, quò hoc negatur, & quod pactum in continenti adjectum tantum vel solum habeat locum cum in contractibus bonæ fidei. Nec evincunt hoc textus sequentes *l. Jurisgent. 7. §. quin imo 5. l. in bonæ fidei*

fidei 13. C. b. t. &c. nam ibi exempli causâ afferuntur bonæ fidei judicia, quæ responsio sic confirmatur, quod ibi nulla habeatur particula exclusiva, propter eâ autem ibi nulla exempla proferuntur de judiciis Stricti Juris, quia ibi de illis non erat status controversiæ, nec nobis resistit particula INTERDUM *in d. §. 5.* nam illâ declaratur versiculus præcedens *igitur &c.* vel saltem excluduntur pacta ex intervallo adjecta, particula ETIAM ibi non potest dici exclusiva, sed potius intensiva, & non pertinet ad remotionem contractuum Stricti Juris, sed ad pacta illa, quod quædam insint ex parte actoris, quædam ex parte rei. Comparationes quæ ex *l. 32. §. 2. de Usur. l. 13. de rescind. vendit. l. 21. in fin. solut. matr.* instituuntur, sunt planè alienæ & claudicant, nam longè dispar ratio occurrit contractuum Stricti Juris, quàm est in allegatis textibus, & sic hæc dissentientium probatio videtur in circumlum redire. 2. *l. 6. C. si cert. pet. in vers.* si verò citra vinculum, non agit de pacto in continenti adjecto, sed tractat de eo placito, quo inutiliter quærebatur novatio. 3. *l. 99. in pr. de V. Obligat.* in rem non facit, cum ea pacta, quæ stipulationi in continenti subjiciuntur, palàm verbis exprimantur, & pro omissis non possint censerî. 4. in *l. 11. §. 1. de reb. cred.* pactum illud ideo non subsistit, decem enim dati erant aurei, hinc undecim condici non possunt, quia ille undecimus non petebatur ut usura, sed ut fors. Nisi quis diceret, ibi prorsus non agi de pacto in continenti mutuo adjecto, sed tantùm de mutuo qua tali & simplici, quod non erat modificatum per pactum adjectum,

ctum, tunc plus condici non poterat, quàm datum
erat mutuò nempe decem *vid. l. si tibi decem 17. b. t.*
§. ad *l. 24. de prescript. verb.* dici potest, quod ibi aga-
tur de pacto nudo & simplici, ex quo usuræ fœnebris
pecuniæ non debentur *l. 3. C. de Usur. (non obstante l.*
12. d. t.) non autem de eo, quod in continenti con-
tractui quasi incorporatur, & sic etiam non resistit
l. 2. C. de evict. 6. dicunt Dissidentes informare
actionem est illam extendere, at stricta actio non re-
cipit extensionem *l. 5. in fin. de in lit. jur.* Resp. hoc argu-
mentum formaliter non concludit, & minor nititur
falsâ hypothesi, ac si contractus Stricti Juris vel rectius
actiones Stricti Juris non reciperent extensionem, tales
enim saltim dicuntur ratione habitâ ad officium Judi-
cis, quod in b. f. laxius est, quàm in contractibus &
actionibus Stricti Juris. Malè autem infertur ab hoc
officio Judicis ad ipsam actionis extensionem, confer
l. 5. & 6. de eo quod cert. loc. l. 4. §. fin. de pact.

IV.

Summaria.

1. *Forma pacti in continenti adjecti.*
2. *Inesse sumitur dupliciter propriè & impropriè.*
3. *Non omne pactum in continenti adjectum inest ex par-
te actoris.*
4. *Dist. inter pactum adjiciens & detrabens.*

1. **P**acti adjecti forma duplex, una generalis,
quatenus est pactum nudum, de quâ alii vi-
deri possunt; Altera specialis, quæ consistit
in contractus coherentiâ & continentia. Nempè vir-
tus

tus illa operandi inest contractui immediatè *ὡς πρῶτως*
& tanquàm subjecto primo, at pacto inest *καὶ ἄλλο*
mediante contractu, à quo hanc formam mutuatur, ac-
cipitque virtutem & efficaciam operandi, dum contra-
ctui propriè inest. Dixi propriè, sic pacta ex intervallo 2.
suò modò inesse dicuntur *l. pacta conv. 72. de contrab. emt.*
Licet enim contractus non imprægnat & quasi vivi-
ficet talia pacta, ut pariant actionem, attamen dum
actionem interdum aliquo modo alterant, inesse dici
possunt. Illa tamen inexistentiâ non debet confundi
cum ipsa essentiâ quasi indè pacta mutarentur in con-
tractus. Res potest declarari exemplò. Sicut impe-
rium cohæret jurisdictioni *l. 1. §. ult. de offic. ejus cui*
mand. est. Jurisdic. sed imperium non est jurisdic-
tio; Ita etiam pacta hæc, licet insint contractibus,
attamen ab iisdem differunt; Hæc debent cum grano
salis intelligi, cum comparatio fiat tantum in ali-
quo tertio, aliàs imperium semper cohæret jurisdic-
tioni potentiâ, vel virtute, sicut pars suo toti potesta-
tivo, quod de his pactis dici nequit. Cæterum ab illa
inexistentiâ non rectè concludi potest, quod omne 3.
pactum in continenti adjectum insit ex parte actoris.
Distingui debet inter pacta adjicientia, quæ obligatio-
nem augment, amplificant, ipsamque actionem sic ex-
tendunt ut possit in majus agi, quàm aliàs in ipso con-
tractu comprehendebatur, & hæc tantum insunt ex
parte actoris, producuntque actionem; Deinde in-
ter detrahentia, quibus obligatio & actio imminui-
tur & coarctatur, ita ut in minus tantum agi possit,
quàm in ipso contractu continebatur, hæc certè non
insunt

infunt ex parte actoris, sed potius actionem ejusque generaliore effectum restringunt & impediunt, quæ sententia confirmari potest vel ex ipsa sæpius allegatâ l. 7. §. 5. b. t. ubi Jctus utitur particulâ ETIAM, quâ innuit, quod quædam pacta infunt ex parte rei, aliàs frustra adjecisset vocem *etiam*, si omnia pacta inessent ex parte actoris.

V.

Summaria.

1. *An due actiones competant ex pactis contractibus adjectis, an vera una informata?*
2. *Non conveniunt Dd.*
3. *Rationes pro hâc posteriori opinione.*
4. *Rationes affirmantium afferuntur.*
5. *Responsiones.*
6. *Replicationes usque ad finem.*

1. **E**Inis ex generali materia pactorum est expedita, videbimus de effectu, quænam actio competat ex pactis, quæ contractibus in continenti adjiciuntur. Quidam affirmant duas actiones competere, unam veterem ipsius contractus, alteram novam præscriptis verbis ex pacto descendentem. Alii negant, & statuunt unam tantum competere actionem, nempe contractus. Pro his facit I. quod pactum adjectum dicitur formare actionem l. 7. §. 5. b. t. Jam autem si actio formatur & alteratur, nova non producit. 2. actio præscriptis verbis non concurret cum actione ipsius contractus, quia illa est subsidiaria, nec datur, nisi ubi deest ordinaria l. 1. 2. & 3. de præscript. verb.
- 3.

verb. 3. hæc actio non oritur nisi ex contractû inno-
minato. Affirmantes habent & proponunt *l. 2. C. de* 4.
pact. inter emt. & vend. ex quâ apertum est, ex pacto in
continenti contractui adjecto oriri duas actiones præ-
scriptis verbis & ex vendito. 2. *l. 12. de præscript. verb.*
ubi datur actio in factum, cum dubio procul etiam
competat actio contractus, nempe ex vendito. 3. *l. 6.*
de rescind. vend. datur actio emti, aut proxima emti in
factum. 4. in *l. 7. §. 5. & 6. b. t.* dicitur actio nasci ex
pacto in continenti adjecto. 5. nulla esset exceptio
à regula, cum sic non pactum sed contractus pare-
ret actionem. Respondent autem hi ad rationem pri- 5.
mam Negantium, quod malè explicetur *τὸ formare*
actionem. Cum illud nil aliud sit, quàm parere actio-
nem, ut patet ex *§. 5. & 6. d. l. 7. in verb.* ad actionem
proficiat. Deindè ibi non dicitur, quod *tantum* com-
petat actio contractus. Ad secundam resp. quod hæc
vera sit de contractibus quâ talibus, fallit autem in il-
lis, qui per pacta adjecta modificantur, ut hinc illa re-
gula ex *l. 1. 2. & 3.* non rectè huc applicetur. Ad ter-
tiam resp. quod illa non sit universaliter vera, quoties
enim non satis certò constat, an contractus sit nomi-
natus, an verò innominatus, tunc datur actio præscri-
ptis verbis *l. 1. & 3. d. t.* Idem videtur esse in pactis ad-
jectis. Sed contra replicant negantes, quod in *l. 2.*
particula *VEL* sit correctoria, quæ tamen respon-
sio non omnibus placet. *Vinnius* dicit, hoc pueri
credant, viris autem hæc persuaderi posse non ex-
istimo. Unde alii putant rectius responderi, quod
in *d. l. 2.* simul involvatur contractus innomina-
tus,

tus, do tibi pecuniam, ut facias restitutionem, idem
 dicunt ad *l. 12. de prescript. verb.* Ad tertiam respond.
 quod fuerit inter Proculeanos & Sabinianos dissen-
 sio, quæ demum ab Imperatore sopita est in *l. 2. C. de
 pact. inter empt. & vendit.* Vel ut alii, quod ibi ut &
 in *l. 6.* casus singulares proponantur. Ad quartam
 resp. quod actio illa non sit nova, sed saltem informa-
 ta, & tandem quod sufficiat ad probandam exceptio-
 nem, si modò competat actio contractus, cum pa-
 ctum aliàs in se abstractivè consideratum non pa-
 6. riat actionem; sed quatenus concrefcit quasi cum
 ipso contractû. Verum enim vero & affirmantes se
 tueri possunt I. quod in *d. l. 2.* non sit comprehensus
 contractus innominatus, cum de eone $\chi\epsilon\upsilon$ habeatur;
 Et provenit ista opinio ex errore, quasi actio præscri-
 ptis verbis præcisè præsupponat ibi contractum inno-
 minatum, talis autem non est, do tibi pecuniam, ut
 facias restitutionem, sed est emptio venditio cum pa-
 cto in continenti adjecto, *in verb. vendidit*; Deinde
 in verb. ut contractus sc. venditionis servetur. Idem
 patet ex *l. 12.* quod ibi non agatur de contractu inno-
 minato. Ad tertiam resp. illa dissensio nodum non
 solvit, vel si ibi admittimus casus singulares, quibus
 ex pacto duplex competit actio, tunc accurata ratio
 specialitatis assignari debet, & imò juxta ipsos Negan-
 tes altera sententia non esset universaliter falsa. Ad
 quartam & quintam resp. quod hoc ipsum sit $\rho\epsilon\epsilon\upsilon$
 $\delta\epsilon\chi\eta$ λαμβάνειν, hinc debet evinci per alium so-
 lidiorum medium terminum. Hæc
 pauca sufficiant h. t.

Corol-

Corollaria.

Q. An Negans probet? **A.**

I.

II.

Rex Franciæ solus inter Catholicos Reges (*ut referatur*) utitur sacrâ coenâ *sub utraq; specie*, Ratio quæ à Gallis assignatur est talis, quod ille sit æque unctus, ut sacerdotes. Sed unde hæc fluat, Oedipo conjectore non est opus.

III.

Archiepiscopus Magdeb. olim erat Legatus natus *geböhner* Legat.

IV.

Tres fuerunt missi Legati à Romanis in Græciam, ut Inclutas leges Solonis describerent, aliarumque civitatum instituta, moresq; cognoscerent, sicut *ὁμοθυμαδὸν* affirmat *Livius lib. 3. c. 31. Dion. Halicarnassens lib. 10. sect. 12. Valer. Max. lib. 2. c. 6. Tacitus 13. Annal. c. 26.* sed hoc non negat noster Pomponius *in l. 2. §. 4. d. O. J.*

V.

Titius pro 80. thaleris emit domum, quam utpote laceram demolitur novam ibi reedificaturus, Ecce in muro invenit grandem summam pecuniæ. **Q.** An illa pecunia pertineat ad Titium emtorem, an vero ad venditorem domus? Resp. ad solum Titium emtorem.

VI.

An Cantones Helv. vi Instrumenti pacis Cæsareo-Gallici prorsus & in solidum sint exempti à Jurisdictione Romani Imperii?

VII.

An Jctus Alphenus in *l. proponebatur 76. sub. fin. de Judic.* probet Stoicorum opinionem de Atomis?

VIII.

QX 77 958

VIII.

Ulpianus dicit in l. 6. de his qui sunt sui vel al. Jur. Sed si fingamus abfuisse maritum, verbi gratia per decennium, reversum anniculum invenisse in domo sua; placet nobis Juliani sententia, hunc non esse mariti filium, Q. An hujus rei possit adæquata ratio dubitandi afferri? Affirm.

IX.

An cujuslibet legis in Corpore Juris possit solida ratio specialis politica dari? Neg.

X.

Imperatoris Justin. in Nov. 83. c. 1. verba hæc secundum sacras & divinas regulas, quas etiam nostre sequi non dedignantur leges, quidam Dd. intelligunt de Jure Canonico, sed in applicatione & supputatione Chronologica splendide errant.

XI.

An mutus & surdus possit esse procurator? Affirm.

XII.

An Prætor olim potuerit tantum judicium dare, an vero etiam judicare? prius plerique affirmant.

XIII.

An Ulpianus in l. 3. §. ult. de Decur. nostram Christianam Religionem nominet Judaicam superstitionem? Neg.

XIV.

Et an idem in l. 1. §. 3. de extraordinar. cognit. Christianos vocet impostores? Neg.

F I N I S.



VDT

M 11



Pan TK 98, 2h


ULB Halle
003 910 504

3





1. *Distinct*
 2. *Pacta in*
 3. *Effectus*
 4. *Fundan*
 5. *Prasens*
 6. *Ratio so*
 7. *Συνάλλα*
 8. *Disting*
 9. *Exempt*
- I. **V** Et tu de dentur pa σολιω, sed ετιδτ. l. 3. C. adim. lega l. nunquam
2. *contrab. en*
nuda & no tur in l. fu solent 15. d stralis dist di gratia t delication
 3. *non nuda.*
cunt oblig de locat. d d. l. solent. tis 28. C.



tti exceptio-
pit. (nes.

oris litera-
non atten-
ita. Et vi-
nata Ag-
dictum 56. de
l. 3. §. ult. de
. 2. de pecul.
l. nuda 55. de
cum pacta
urè ponan-
minus 8. §. l.
Illa magi-
ur) docen-
deret aures
t nuda, alia
rali produ-
si tibi 27. C.
nis 45. b. t.
21. l. si cer-
5. C. de in-
util.

